

non dicendum, calorem efficere vermes, ranas, mures, pullos gallinaceos, sed princeps causa indaganda est. Elevatio instrumentorum vulgaris vel nulla est, ut debeat virtus aliqua & nobilitas instrumento imprimi à principali causâ; vel subordinationem tantùm causæ principalis & instrumentalis importat, quæ tamen principalem & ipsa præsupponit & instrumentalem cum effecto non adæquat.

§. 4. Ulterius differt causa *Totalis seu solitaria à Partiali seu sociâ*, quod illa ad productionem corporis naturalis non requirat alterius similis operam, hæc autem cum maximè. Sic mineralia & plantæ causæ solitariae sunt, brutum & homo sociæ, illa enim sexu destituuntur, quo ista gaudent. Sicut ibi unum individuum alterum individuum generat, hic duo unum: Causæ enim sociæ licet ratione essentiali numericae, imò quandoque etiam specificæ, distinctæ omninò sint, ratione tamen influxus stant pro unâ, adeò quidem, ut una illarum solitariè sumpta par non sit operi producendo. Unde mas sine simili nihil præstat, nec femina absq; mare. Ut adeò frustra sint, qui quærere solent, an à Patre an à Matre veniat anima? quam partem Pater, quam Mater det. Non sunt disjungenda, quæ conjunctim influunt. Cur non idem quærunt de duobus equis currum trahentibus, aut de tribus hominibus unum lapidem moventibus?

§. 5. Tandem causa *per se à causâ per accidens* differt, non in eo, ac si hæc æquivocè sic dicatur minimèq; agat, quod explosum jamdudum est, sed quod causa per se cum intentione corpus naturale producat, causa verò per accidens incidenter & citra intentionem. Unde & hæc & illa duo dicit. Illa influxum & intentionem. Sic homo generans hominem perfectum, non tantùm influit sed & perfectum quid intendit: Hæc influxum & intentionis absentiam. Sic pater generans filium monstruosum influit sanè, generat & multiplicat se. Cum verò natura intendat, id quod est perfectissimum, non imperfectum non mutilum & mancum, præter spem & intentionem, fit, ut Patrem suus conterreat infans, ceu id deducit *B. Sperlingius l. c.*